

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE


Bibliotheca Lindesiana

83
S

HISTORIA
RUNARUM HELSINGICARUM,

Quam

Consentiente Amplissimo Philosophorum Ordine,

PRÆSIDE

NIC. HENR. SJÖBORG, praeses

Histor. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Music. Holm.
Societ. Reg. Genealogico-Herald. Hafniens.
& Societ. Litt. Scand. Membro,

PRO LAUREA

Examinandam proponit

FRANS JOACH. LORICH,
Blekingus.

Die XX Junii A. MDCCCVI.

H. & l. Solitis.

LUNDÆ,
Litteris BERLINGIANIS.

Lector qui fueris primus Runæque latentis
Candidus interpres, Regia dona feres.

JUSTINIANUS HEINER.

§. I.

Cippis runicis abundant Svecia, Gothia, Dania & Norvegia; Finlandia atque Lapponia ejusmodi deficiunt monimentis. Britannia vero, aliæque terræ illis non carent 1). Quis tunc miretur, nos in vasto hoc Septemtrione variationes runarum invenisse? In his, Runæ Helsingicæ, quæ ab aliis in totum discrepant, inprimis notabiles videntur. Hæ runæ, olim ut litteræ crypticæ, *Villrunor*, h. e. secretæ lectoremque Fallentes habitæ sunt. Johannes Buræus illa monimenta a se delineata formis ligneis incidenda curavit; qua re eum & publico programmate & carmine honoravit Just. Heiner, Juris Prof. omnesque antiquitatis studiosos ad has indagandas litteras strenue incitans 2). Hanc vero rem,

1) Vid. Diss. Acad. de monumentis Runicis extra Scandinaviam. Sect. 1:a Resp. Collnér 1805. Sect. 2:da Resp. Forsblad, 1806.

2) Collegio Antiquitatis 1630 a Gustavo II Adolpho, fundato, in Regiones Sveciæ missus est Buræus monimen-

rem, plerisque inexplicabilem, annis aliquot nemo tentavit. Tandem Joh. Scheffer, Upsaliæ Professor, lapidum Helsingicorum unius alteriusque descriptam figuram ad Presbyterum Romæ Franciscum de Nigris misit, rogans simul, ut illam Athanasio Kirckero, qui in ejusmodi rebus explicandis exercitatissimus putabatur, ostenderet. Anno 1669. Franciscus ita respondit: *Kirckerus, ubi primum oculos conjecit in figuram, animadvertit statim, non litteras esse, sed solum ornamenti loco impressa signa, signantia nihil, quod & contigit ipsi in Sicilia* &c. Neque paulo post ejusmodi misit responsum laudatus Franciscus: *Kirckero præbui Helsingici lapidis figuram impressam, qui dixit hoc esse* talisma *sive* amuletum *contra serpentes, similesque lapides repertos Constantinopoli & in Arabia, qui tanquam termini constituebantur certis in locis, ne incolas impeterent serpentes, additis incantationibus, seu diabolicis superstitionibus. Confirmatio accedit, quod in altera, quam ad me transmisisti, effigie conspicitur serpens. Crux in medio non obstat, quominus credatur, non posse simul consistere duo contraria. Nam callidus serpens personatum inducit mendacium, ut facilius, specie boni, credulos alliciat. Sicque ex-*

pe-

ta investigandi caussa. Quædam ejus picturæ in ære sunt insculptæ. Diem obiit suum Buræus 1666, ejusque manuscripta in Archivo Antiquitatis Holmensi adhuc conservantur. Vide Præsidis Inledning till Antiquiteterne p. 283.

*perientia probatum, in talibus superstitiosis immui-
sceri signum sanctæ crucis.* Kirckerus vero, qui ipse hæc non viderat monimenta, & cui forsan litteraturæ septemtrionalis & antiquitatis nulla fuerit cognitio, responsum magis decidens atque illustrans edere non potuit. Eas tamen inscriptiones, præeunte Kirckero, *Villrunor*, vel potius *Swartrunor*, & *Trollrunor* esse, docti putarunt.

§. II.

Helsingicarum Runarum veram lectionem tandem invenit Mathematum Professor, Magn. Celsius, in Helsingia natus. Hic industria & labore, in lapidibus figuras apte incisas, verba perfecta, etiam plures sententias repetitas investigavit. Characteres illi Helsingici, inter duas lineas eodem modo atque aliæ runæ Gothicæ insculpti erant. Qua re ductus, hæcce Epitaphia, non hieroglyphica, sed potius totas sententias continere credidit Celsius; & has lineolas, lineola, vel *baculo* sic dicto addito, runas vulgares facere, non multo post animadvertit. Explicationem suam Runarum Helsingicarum publicam deinde fecit, oratione d. 29 Jun. 1675, Upsaliæ habita, quum Rectoratum Academicum deponeret. Tractatum etiam, cujus peractionem mors supprimebat, molitus est. Oreadas enim, quas vocabat Helsingicas, prælo subjecit, sumtibus illustris Collegii Antiquitatum Regii, cujus ab anno 1666, membrum fuerat.

rat. Quæ typis impressa in Archivo Collegii asservantur. His quattuor tantummodo capita addere licuit Auctori. Filius vero, Olaus Celsius senior, Orationem Academicam patris, typis edi curavit 1707, subjungens ad Senatorem Regium Comitem Er. Dahlberg epistolam Claudii Örnhjelm, in qua, moriente auctore operis, cui Oreadum Helsingicarum destinarat titulum, non nisi sex plagulas in folio impressas, penitusque abruptam editionem, refertur. Postea, quidquid servatum repererat Ol. Celsius, tum Græcar. Lit. Professor, postea Archipræpositus Upsaliensis, sub eodem titulo Oreadum Helsingicarum 1710 instauratis typis evulgavit. Quin etiam instituto in Helsingiam itinere, lapides inspexit, primus eruit Runam *Aur* vel *R* finale, nemini antea observatum, & delineavit ærique incidi curavit ectypa, quæ Regiæ Societati Scientiarum Upsaliensi impertiit Olavus Celsius junior, tum Hist. Prof. Ups. deinde Episcopus Lundensis. Itinere 1724 expedito, conscripsit O. Celsius senior Supplementum ad Oreadas Helsingicas, quod in novis suis actis 1773 typis edidit Regia Societas Scientiarum Upsaliensis. Nicolaus Brocman Runarum helsingicarum etiam habuit conspectum, easque in libro suo: *Sagan om Ingvar Widtfarne och Underjökning om våre Runstenars ålder*, descripsit. Et ex his relatis operibus historia nostra horum monimentorum nata progreditur.

§. III.

§. III.

Runas primis temporibus ligno insculptas constat. Neque paucos ex veteribus reperias, qui, runas, vel tabellis, vel baculis ligneis mandari solitas fuisse, verbis disertis confirment. Inter hos Venantius Fortunatus, Episcopus Gallus, seculo sexto exeunte, ita cecinit:

Barbara Fraxineis pingatur Runa tabellis
Quæque papyrus agit, virgula plana valet.

Regem Jutiæ Fengonem, ad Regem quendam Angliæ duobus baculis epistolam a. 550 scripsisse, historia docet 3). Unde jure statuere fas est, runas nostras ligno primum, lapidibus postea incisas fuisse. Neque ad incidendum ligno ullum Alphabetum est aptius nostro Gothico, quod baculis solum consistit; & paucæ illæ lineæ curvæ runarum vulgarium, olim rectæ fuerunt. Ligno vero ad incidendum omnium runarum Helsingicæ, quæ lineolis tantummodo & punctis consistunt, atque nullis aliis, exceptis litteris Persepolitanis, similes, aptissimæ sunt 4). Tale itaque exhibemus alphabetum Helsingicum;

F

3) Suhms Danske Historie Tom. 1 p. 393. Saxonis Histor. Dan. L. 3 p. 52. His adde Vorm. Litt. Run. p. 7. Torfæi Histor. Norvegicam p. 195. Reenhjelm ad Hist. Thorst. p. 35. Salan. Not. ad Hist. Eigilli & Asm. p. 81, 86. Sturlunga Saga p. 60.

4) Allgemeine Geschichte der Morgenländischen sprachen und Litteratur von Wahl Tab. 4. Cfr. Super-

F. U. Th. R. K. H. N. I. A. S. T. B. L. M. R. finale.

Alphabetum hocce cum runis vulgaribus comparatum volumus:

ᚠ ᚢ ᚦ ᚬ ᚱ ᚴ ᚼ ᚾ ᛁ ᛅ ᛋ ᛏ ᛒ ᛚ ᛘ ᛦ

F. U. Th. O. R. K. H. N. I. A. S. T. B. L. M. R.

Primo observandum est, Runam ᚼ utriusque Alphabeti sui similem esse, atque fulcrum & fundamentum ceterarum runarum haberi posse 5). Addito enim hoc baculo vel linea perpendiculari litteris *Ur*, *Kaun*, *Naud*, *Ar*, *Tyr* & *Laugur*, etiam, quamvis aliquantulum mutata, *Hagel* & *Sun*, Runæ exinde oriuntur vulgares. Reliquæ runæ, *Frey* loquor, *Reid*, & *Bjark* alphabeti runarum vulgarium, Latinis litteris similiores sunt. Hac seducti re, & Magnus & Olavus Celsius crediderunt, runas Helsingicas vulgaribus esse antiquiores, iisque longo temporum tractu majores

res

stites in Persepolitanis ruinis figuræ apud Kæmpherum Amœnit. Exotic. p. 332 & Cornel. Le Brun Itineraire Tom. 2. p. 272 seqq. Ed. Gall. Amst. 1718. fol.

5) Vid. Litteræ Gothicæ ab Asia Oriundæ ad Scandinavos Hospites deductæ, Resp. L. M. Lagerheim, p. 19 &c.

res nostros usos fuisse. Tandem vero, cum viderent, eas parum idoneas, quæ diutius adhiberentur, consilium iniisse eos, quo potissimum ratione ita immutari possent, ut evidentior scriptura & lectio redderetur facilior, contenderunt. Post hæc cuivis runæ, si modo figura pateretur, lineolam, adhuc *baculum* adpellatam, addiderunt. Reliquias superesse runarum Helsingicarum in monumentis Uplandicis aliisque luculentas, quoque creditur. Brocman 6) autem, cui etiam assensum præbuit Benzelius, e contrario probat, paucos illos lapides runico. Helsingicos, neque ex inscriptionum indole, neque litterarum figura, ceteris lapidibus Sveciæ runicis antiquiores se præbere, sed potius sequiores, & illos post tempus Sacerdotis *Osmundi Kareson*, a notabilibus illis runarum incisoribus *Ubbe & Bale*, qui, regnante Olavo Skötkonung, ad finem seculi decimi pulcherrimos Uplandiæ lapides runicos insculpserunt 7), incisos fuisse, probabiliter dicit. Et his nixus, runas ab Uplandia ad Helsingiam secum duxisse *Osmundum* vel quendam ejus discipulum, putat. Sed videre mihi videor ingenii velocis hominem novi aliquid inveniendi cupidum has primum insculpsisse runas. Nihil enim impedit, quominus runæ Helsingicæ baculo vulgarium runarum ablato, æque ac vulgares, baculo

6) L. c. p. 257 seqq.

7) In Bautil & Act. Litt. Svec. Tom. 3 lapides Ubbe & Balis videri possunt.

culo addito, oriri potuissent 8). Littera O caruerunt sculptores Helsingici, cujus loco U sunt usi, runæ itaque Helsingicæ tantumodo 15 habemus, & forsan vulgares neque plures ab initio fuere, litteram enim *aur* ex *Ar* & *Naud* compositam, postea additam, credibile est.

§. IV.

Cum lapides, inscriptiones runarum vulgarium habentes, in Svecia 1260 excedunt, quinque solos ru-

8) Peringschjöld senior & Hadorph; qui runas Helsingicas in lapidibus Medelpadiæ primi invenerunt, eas hoc ortas esse modo crediderunt, ut illi, qui runas describserint, celeritatis caussa, baculum prætermiserint. Runæ vulgares simpliciores, quare antiquiores. Litteræ Jonicæ, in eo, quod, in uno tantum regionis tractu inveniuntur helsingicis similes sunt. In libris Werelii Vormii &c. runas helsingicas pluribus Scandinaviæ locis, agilitatis caussa, vulgaribus admistas, vidimus. Ad Medelpados magno adplausu commigravit isthic contrahendi mos, ad Helsingos summo triumpho. In Medelpadia 12 lapides, quorum 7 puras & vulgares ceteri mixtas continent runas. Act. Lit. 1725. Björner runas Medelpadiæ delineatas ad Celsium misit, Act. Litt. 1726. Lapides illi Helsingici mixti, quos memorat, inprimis sunt: In vestibulo Templi *Skönensis* ad pagum *Berge* parœciæ *Njurunda*, ad pagum *Måhlstad* parœciæ *Tuna*, ad pagum *Skjöle* ejusdem Parœciæ, ad pagum *Högum* parœciæ *Sellånger*. Etiam in lapideo fragmento templi Tunensis in pariete, qua ascenditur in suggestum, runæ repertæ sunt Helsingicæ. Cunei illi cuspidati lineis rectis apud Björnerum consistunt.

runis Helsingorum incisos detexerunt rerum antiquarum studiosi. Hæc oculis contrectare monimenta, quorum tamen delineationem habemus, nobis non contigit. Primus prope *Malstad* in parœcia *Rogstad* non procul ab oppido *Hudwikswald* notabilis videtur propter satis amplam, quam continet genealogiam. Inter lapides runicos Curionis delineatus est N.o 44 & in Nov. Act. Reg. Soc. Scient. Tom. 1. Tab. 1. pag. 8, 11. Upsl. 1773. cfr. Brocman p. 218, 258. Interpunctionum signa & binis reperiuntur & ternis excavata punctis. Inscriptio, figura serpentis oblonga incisa, in medio cujus signum crucis patulæ cernitur magnum, in figura singulari, duo habente capita, continuatur, & rite composita ita legitur: *Frumunt fst staina dina ftir Fisjulfa Brisa sun, in Brisi was Lina sun, in Lini was Unar sun, In Un was Fah sun, in Fa Saduri sun, In da Barlaf, in da su Drunar, in da Lanasr, in da Fidrasiv, sin da Nu in Rimbium, Arva was mudir Fisjulfi, Sjulfir vard um lanti disuri wisr, Frumunt Fisjulfa sun fadi runar disar, wit sutum stin dina nur i Balastin* h. e. Frumundus firmavit 9) lapidem hunc post Fisiulfum Brisonis filium, Briso autem erat filius Lini, Linus autem Unonis filius, Uno autem filius Fachi, Fachus autem filius Saduri, qui filius Barlafi, qui filius Throni, qui Lanaseri, qui Fidrasivi, qui Nu-

9) Cum enim hic lapis, impediente petra subjecta (Balastin), aliter stare non posset, necesse erat, ut lapidibus firmaretur munireturque.

Nuonis in Rimbium. Arva erat mater Fisiulfi, Siulfus factus est hujus provinciæ gubernator 10), Frumundus Fisiulfi filius concinnavit runas hasce, posuimus Lapidem hunc versus septemtrionem in monte Balio. Itaque per duodecim generationes totum stemma hoc percensere possumus modo: *Nu i Rimby, Fidrase, Lanasr, Thruna, Barlaf, Sadur, Fab, Une, Lin, Brise & Arva, Fisjulf, Frumunt. Balastin* 11) mons dicitur vel collis, in

10) *Visr* dux oritur a *Visa* ostendere. Verelius Hist. Herv. c. 19 visir ducem vocat, quod reliquos omnes in prælio præcedere debeat. Ad hæc non male alludit supremæ apud imperatorem Turcicum dignationis officium *Stor Wisir*. Dikman in Obs. Hist. de Runis p. 47. *Ordet Wisir är Svenskt, lärandes thet äreminnet blifwa qwar i Afrika efter Swiar och Göterna.* Konunga-Styr. p. 16. *En är Konungr ok Vise i bisverme hwarjom, then ther rader ok styrer alt.*

11) Quomodo significationem hujus vocabuli invenerit Celsius hoc refert modo: "Cum inter nos mussitaremus, quæreremusque, quid sibi vellet lapis Balensis, rusticus, qui aderat & nos colloquentes audiverat, en, inquit, in oculis est ille, de quo quæritis *Bahlsten*, neque inter nos quisquam est qui hunc ignoret. Mons haud magnus erat in conspectu, saxis plenus, vix quadrante milliaris a nobis remotus. Rogo igitur, ut ad eum nos deduceret, adfirmoque, tantum superesse lucis, ut locum in monumento runico memoratum adire, oculosque usurpare possemus. Ibi rusticus ad tugurium suum respicere & a nobis abire cœpit. Interrogatus vero de caussa abitus, respondit, post solis occasum neminem ad illum collem accedere, quin malo aliquo mulctetur. Ægre

in quo constitutum olim fuisse hoc monimentum oportet, unde in agrum longe dissitum posterorum forsan superstitione, translatum fuerit, ubi nunc quibusdam oppositis lapidibus incumbens a prætereuntibus facilius spectatur, quam legitur. Ad Sum-

persvasimus, ut dux nobis esse vellet. Monticulo juncti, qui grandibus saxis & speculus refertus erat, vix ascendere cœperamus, cum sub pedibus nostris quasi capræ balatus, vel gemitus auditur, sæpiusque repetitur. Hærebamus nonnihil, monebatque rusticus crebris nutibus, ne ultra pergeremus, sed de monte absccederemus. Tamen unus e nostris procumbens, admotis oculis, quantum dubia lux ferebat, scrutatur num inter subjecta saxa aliquod forte vivens reperiretur, adfirmatque mox, pedes cujusdam animalis se videre. Quid multa? Saxa quædam amolimur, & capellam extrahimus semimortuam, quæ fixis inter petras cornibus ita hærebat, ut nisi aliunde adjuta, evadere nunquam potuisset. Constabat mons petra solida & glaberrima, per medium scissa in patentem voraginem & profundam, nec sine horrore inspiciendam, quæ tamen in profundo planitiem habebat viridem, & varii generis herbis vestitam. A monte digressi capellam invenimus anterioribus pedibus jam insistentem, & gramina sibi vicina avidis dentibus carpentem; delatique mox ad proximam villam, audimus aliquem ex colonis pridie unum de grege suo pecus desiderasse. Narrabant etiam, hanc speluncam, prædonum quondam fuisse latibulum. Quod est verisimile, cum *Baele*, speluncam latronum in veteri lingua sonnerit, docente Wormio in Lex. Run. p. 13. Idque a voce antiqua *Balo*, quæ pravitatem, fraudulentiam & dolum immo diabolum olim significarit.

Sunnä in eadem partecia *Rogstad* alius etiam est lapis runicus, in quo plures ejusdem modo laudatæ familiæ iterum nominantur. Ad unam literam interpunctio duorum punctorum cernitur. Inscriptio, quæ duabus extat lineis, ita explicatur: *Brisi sun Frumunt, in da Durmunt, in da sn Rarir, in da un, Frumuntr Fisiulsi sun riti stain dina stir Fisiulfa* h. e. Briso filius Frumundi, hic Durmundi, is Rariri, is autem Unonis, Frumundus Fisiulsi filius erexit lapidem hunc post Fisiulfum 12). Monimentum tertium vestibulo templi *Hög* insertum delineatum conspicimus in Act. Upf. l. c. Fig. 2. cfr. Brocman p. 258. Interpunctio tribus constat punctis, & inter duas lineas sese curvantes, crucemque ad extremitatem superiorem habentes, hanc legimus inscriptionem: *Isudnjutr Dru sun lit rita stin dina ab bru i girdi aftir brudr sina Asbjurn ab uth Udlaf*: i. e. Isudnjuer Thruri filius curavit erigendam lapidem hunc, & pontem fecit post fratres suos Asbjurnum & Udlafum 13). Lapis Tunensis, qui magnæ est molis & in cœmeterio Templi *Tuna* erectus, figuras duorum draconum vel serpentum crucem quandam circumjacentium ex-

12) Delineatus est in Nov. Act. Upf. Tom. 1. Tab. 2. fig 1. pag. 17. Quid de hoc sentit Brocman in libro ejus antea citato p 219 videri potest.

13) Fäderneslandets Antiqviteter a Præf. p. 139. Brocman om Runstenars ålder p. 221 &c. Act. Litt. Upf. 1727, p. 272. Ubi de iis, qui pontem propter animi salutem fecerunt, sermo est.

exhibet 14). Runas non nisi paucas illæsas præbet, ceteris vel nullum sensum efficientibus, vel corruptis vel plane deletis. Sola, quam in medio videmus, crucis figura, verba quæ legi & intelligi possunt habet sequentia: *In. Brusi Asbjarnar. sun. fd. runar di* i. e. cæterum Bruso Esberni filius concinnavit runas hasce. Ultimum monimentum Helsingicum, idque *Hudwikswaldense* muro templi insertum est, ne amplius conspici possit. Aliunde igitur acceptam inscriptionem attulit M. Celsius legitque ita: *Barird rithi stain dina afai* (aftir). *Un, brudur. sin Fanva sun, Arin Ai arnar* h. e. Barid erexit lapidem hunc post Unonem fratrem suum, Fanvæ filium, insularum Arnensium Præfectum, &c. quæ explicari nequeunt.

§. V.

Hi sunt quinque lapides illi runico Helsingici in Helsingia solum detecti. Sex præterea lapides in Helsingia reperiuntur, runis Gothicis vulgaribus incisi, undecim, itaque monimentis runicis hæc regio gloriatur. Pluribus vero locis Norrlandiæ, præ primis Medelpadiæ, runas Helsingicas vulgaribus mixtas invenerunt Antiquarii. Ita *Sun* Helsingorum in lapide Templi *Skön, Reid & Ur*

14) Nov. Act. Ups. T. 1. Tab. 3, p. 19 & Curia N:o 48. cf. Brocman, l. c. p. 259. conf. Runic Characters of Helsingland, aus dem Englischen in Teutsche übersetz in fol. Nürnb. 1753.

Ur in lapide Bergensi &c. invenimus. Etiam in lapidibus Uplandiæ una alterave runa Helsingica reperta est. De his lapidibus sermocinatur Translator Bjőrner in Prodromo suo, ubi hæc contra Celsium: *Mirari autem convenit, quod sedulo Antiquario Bureo, illi tantum lapides apud Medelpados innotuerint, qui communibus, non vero mixtis constant runis. Hos enim si conspexisset, utique suo ævo Helsingicarum runarum clavem invenisset, utpote quam communes ceteris mixtæ facile detexissent. Nescimus autem, qualem ruspatorem postmodum nacti sint nostri lapides: is certe his sacris parum admodum initiatus. Postquam Upsaliensem runarum explicationem earumque typos cum ipsis cippis iteratis vicibus commisissemus, runas, miserum certe in modum versatas & depravatas cognovimus.* Post hæc O. Celsius Runas Medelpadicas ab importuna crisi breviter vindicatas 1726 edidit, quæ correctionibus & conviciis contra Prodromum Bjőrneri, quem informem Ursulum clamitat, abundant. Bjőrnerum ut adolescentem petulantem, modo discipulum suum castigat, & de explicatione ejus lapidum runicorum sententiam suam perfert his versibus Stjernhjelmii:

Verborum Phaleras, fucos, mendacia tolle,
Quid superest? lapis & barbara simplicitas.


Bjőrner vero eodem anno in Epistola responsoria hæc habet:

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat
Barbatus possit quin caper esse Plato?

Pro

Pro viribus conviciatus est inter alia dicens: *Refriguit tibi forte paulisper sanguis, mox pleno erupturus alveo. Vereor autem, ut temperari possit, ni Starkaderus Quispiam Alupotta Medelpadus arcessatur, qui tremebundam tangat venam, aperiatque tibi oculos, ut videre possis verba te dedidisse foliis leviora caducis.* Interea tamen merita Celsii in lapidibus Runicis Norrlandiæ explicandis agnoscunt Historici. Björnerum vero ea saltim fellit opinio, cippos nostros runicos ante religionem Christianam, in Svecia acceptam, incisos fuisse, quo errore ductus, inscriptiones interdum facete pervertit & explicationem ridicule detorquet.

Nos vero nobis qualemcunque hanc, quam perfecimus, runarum Helsingicarum Historiam non sumsimus, qui novi aliquid in lucem proferremus, sed de multis elegimus, qui celebratissimorum Antiquariorum de runis Helsingicis judicia uno hoc loco excerpta & compendiosa haberemus.



Dissertatio Academica
De
Monumentis Runicis extra Scandinaviam,

cujus sectionem primam,

Consensu Amplissimae Facult. Phil. Lundensis,

PRÆSIDE

NIC. HENR. SJÖBORG,

Hist. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Musio. Holm. Societ. Reg. Genealogico - Herald. Hafniens. & Societ. Litt. Scand. Membro,

Pro Gradu Philosophico

Publico Eruditorum Examini

modeste defert

AUCTOR

CAROLUS SAMUEL COLLNÉR,

Roslagus.

Die xxv Maji MDCCCV.

h. & l. solitis.

LONDINI GOTHORUM,

LITTERIS BERLINGIANIS.

Dissertatio Academica
De
Monumentis Runicis extra Scandinaviam,
cujus sectionem primam,

Consensu Amplissimæ Facult. Phil. Lundensis,

PRÆSIDE

NIC. HENR. SJÖBORG,
Hist. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Musio. Holm. Societ. Reg. Genealogico-Herald. Hafniens. & Societ. Litt. Scand. Membro,

Pro Gradu Philosophico
Publico Eruditorum Examini
modeste defert

AUCTOR

CAROLUS SAMUEL COLLNÉR,
Roslagus.

Die XXV Maji MDCCCV.
h. & l. solitis.

LONDINI GOTHORUM,
LITTERIS BERLINGIANIS.

MINA FÖRRA KAMRATER

MAGISTRARNE AF 1803 ÅRS PROMOTION I UPPSALA

Tillegnas dessa blad med lifflig tacksamhet för åtnjutet prof af ädelsinnad vänskap och af känsla för rättvisa. Kan hända hade jag bort aflägga detta lärdomsprof i en annan vettenskap, hvarigenom jag hade kunnat rättfärdiga mig i anseende till fordna missöden; men då jag redan är det i Eder öfvertygelse, har jag följt min håg, och afhandlat ett ämne, uti hvilket jag trodde mig med tiden kunna gagna. Må i hvad yrke som hälst, vår ungdoms känsla för sanning och nytta aldrig qväfvas af den förestående lefnadens förhärdande erfarenhet. Lefven väl, älskade vänner! och värdens ihågkomma Eder

med aktning och vänskap tillgifne

CARL SAM. COLLNER.

Monumenta Runica Extra Scandinaviam.

§. I. Melius innotesceret indoles & progressus cultus humani, si inter gentes, quas historia narrat, aliqua fuisset, cui a prima ejus ferocitate, usque dum ad summam humanitatem pervenerit, exteri mores, leges & consuetudines nusquam impositæ essent. Quod tamen propter dolendas mortalium vices vix ulli concessum fuit. Exstirpatas esse legimus totas & florentissimas gentes, vel saltem miserrimas conditiones, quas victores præscriberent, accipere coactas. Qua opprimendi debellandique gloria præ omnibus aliis populis maxime se efferre potuit Roma, cujus victoriæ & expugnationes illud in devictis gentibus effecerunt, ut quibus morum & humanitatis cultura accessisset, eas lenta tabes inficeret, barbaris vero & feris populis quidquid ingenii & virtutis inesset, fere in servitute periret. A ditioribus Europæ terris Romani arma ferebant in paludes ac silvas Germanorum, nam opprimendi saltem, ubi prædandi non erat occasio. Jam vero impotens hæc dominatio magnitudine laborabat sua. Senescens quasi non amplius vim habuit ad vincendum hostes libertatis amantes belloque strenuos. Nunquam Romana aquila adspexit oras Balthici maris, & Svionum terram, trans illud sitam, non nisi fama aperuit.

Ita-

Itaque ergo felices vixerunt Hyperborei procul remoti a malis, quæ antiquas medii orbis gentes perdiderant; nec vitiis corrupti, nec armis oppreſſi Romanis. Teſte advena fide digno, annis abhinc amplius bis mille ad majorem cultum perductæ, paulatim ſeſe junxerunt Scandinaviæ nationes in unam gentem, lingua, religione moribusque communibus. Quæ quidem gens progreſſus fecit in artibus haud viles, in litteris vero laudabiles. Hiſtoria ejus veluti primis lineis rationem atque viam excolendi humani generis deſignat. Digna ſane eſt, in quam periti & humani viri ſumma cum attentione inquirant.

Apertos crediderim originum Scandicarum fontes, quando certo cognitam habemus Runarum patriam. Sic enim via noteſceret, qua majoribus noſtris cultura acceſſerit. Nec mirum, ſi lubentiſſimus occaſionem teneam in hoc ſtudio & inveſtigatione me exercendi, tali autem ratione, qualis exiguis rudimentis par ſit. Nimirum haud inutile credidi uno in loco collegiſſe deſcriptiones Runicorum extra Scandinauiam Monumentorum. In qua re ſi non vires & facultatem ſed voluntatem & ſtudium ſcribentis Lectores ſpectaverint, benigniſſime facient.

At confidenti, me non inutiliter feciſſe operam in tali materia ponendo, ingrata ſubit recordatio opinionis, quæ civium animos pervaſit, antiquitatis ſtudio contrariæ. Jam excuſatio pæne expetenda cuique in primas patriæ origines inquiſituro.

situro. Illam tamen opinionem non tam ex ratione temporis, quæ in alia mentes abripuerit, derivandam censeo, quam potius ex inepta scientiam ipsam tractandi ratione, quæ ab antiquariis præteriti ævi usitata erat. Abesse non potuit, quin & exteris & civibus tædium ac diffidentiam adtulerit archæologia patria, ab auctoribus ejusmodi profecta.

Sed videre mihi jam videor novam lucem, ex ingeniis clarissimorum virorum antiquitati Sveciæ affulgentem. Horum auspicio saltem liceat mihi scientiam colere & laudare, quam & jucundam & utilem sentiam. Neque dicar patriæ amori nimis dedisse, in vetustum ejus statum inquirendo; melius enim ille ostenditur, si præsenti prodesse studeas. Attentiori cuique facile sit judicatu, quantam perfectionem afferat universi generis nostri cognitioni, historia unicæ gentis, cui ab ultimo initio nec exterum jugum impositum permansit, nec civilis libertatis ademta gloria. Historia Svecana certo demum cognita optime illustrabit scientiam, quæ historia hominis dicitur, in quam nunc studii tantum impendunt. Facultatem docebit hominum, per culturam cœlum immutandi asperrimum & ab inopia atque ferocitate ad copiam ac politiorem statum perveniendi.

Ut igitur ad propositum propius veniamus, Scandinaviam eam dico peninsulam, quæ Sveciam Norvegiamque complectitur, ad quam, præter adjacentes insulas adscribere liceat illam peninsulæ

Da-

Danicæ partem, cujus incolæ Danicam linguam loquuntur. Quæ extra has regiones reperta sint Monumenta Runica, nostrum erit hoc loco ostendere, non tamen a ratione nostra alieno ducto prius breviter indicare, quot in Scandinavia ipsa inveniantur.

§. II. Islandia Scandianorum etsi colonia, carminum Sagarumque patria, nullos habet Runicos lapides, litteris tamen ipsis illic non incognitis & inusitatis 1). Figura Leonis ærea Runis insignita, a Cel. Præside descripta in libro: *Inledning till kännedom af Fäderneslandets Antiquiteter* p. 152, ibique inscriptio delineata *Tab.* 1. *fig.* 3. ex Islandia transportata fuit Cui descriptioni hoc addi potest, Monumentum illud annos jam prope DC habens, in templo Wadsfjordiensi, quod Sancto Olavo dicatum erat, fuisse positum ab ecclesiæ Patrono *Ejnar Thorvaldsson*, qui anno MCCXXIV uxorem duxit *Thordis* clarissimi Sturlonidis filiam 2). Longitudine est dimidiæ ulnæ (*aln*) pari-

1) Allgemeine Nordische Geschichte von Schlözer. 4:o. Hallæ 1770, p. 583. Olofs Saga, P. 2. p. 21. Skalholt., *Eitt sin for Ivar Liomi till Islands kaupferd* — — *That var einn dag at Thorkell geck tals vid Oddniu syster sina.* — — — *Oddni ræist runar a kefli.* Ivarus Liomi dictus aliquando mercaturam facturus Islandiam adiit. Aliquanto post Thorkillus sororem suam Odniam convenit: Odnia tum runas baculo incidit. Conf. *Bref rörande en Resa till Island* 1772. Uno von Troil.

2) V. Heims Kringla. Ed. Hafn. Tom. 1. Præfat.

rique altitudine, locum habens concavum in vertice, operculo tectum, ad quem ducunt duo canales, qui per linguam eunt extensam. Primum transportatum est in Norvegiam, indeque Hafniam venit in Museum Suhmii, olim Dan. Regi a Cubiculis. Possessor nunc est Islandiæ natus Skulius Thordi Thorlacius Regi Dan. a Consil. Justit., Sturlonidis per generationes octodecim nepos. Ille credidit fuisse lampadem; hic vero ait simulacrum illud usurpatum ad aquas sacratas aspergendas populo, & hunc pro ornamento in altari stetisse 3).

Nullibi tot inveniuntur lapides Runici, quot in Svecia. Jam cogniti & delineati numero sunt MCCLX, & complures Præses vidit nedum descriptos. Uplandia, Othini in terris Hyperboreis primaria sedes, habet circiter DCLXX. Nullum vero Finlandia, Lapponia, Sveciæque pars, quæ supra Medelpadiam sita est. Runæ Helsingicæ, ut & Characteres Persepolitani, cuneis clavisve similes, sunt formatæ secundum Runas vulgares; nec plures quam quinque novimus Runis ejusmodi signatos lapides. Secundum Wormii Descriptiones Monumentorum Danicorum in Selandia VI inveniuntur,

3) In pectore Leonis videtur scutum, ad vetustum in ludis equestribus morem, prone positum. In scuto hæc leguntur verba runis scripta: *Leon thetta er gefet guthi til virthr och hinom helga Ulaf at Vathsfjorthe af Thorvaldi ok Thordisi* h. e. *Leo hic datus est Deo in gloriam & Sancto Olavo Wadsfjordio a Thorvaldo & Thordis.* Retulit proficiscens quidam monumenta hujusmodi adhuc in Templis Russicis adesse.

tur, in Fionia V, Jutlandia XXXIV, Norvegia XXXXVIII, Bornholmia X. Præterea Wormius affert in Scania XVIII, præter Inſcriptiones Runicas parietibus Templi Chatedralis Lundenſis inciſas, in Hallandia I, in Blekingia VI, præter inſcriptionem Haraldi *Hildetand* in petra *Runamo* inciſam, in Gotlandia IV; qui omnes, utpote jam Svecici, ſupra dicto numero MCCLX continentur. Calendaria vetuſta Runica, baculis, oſſeis laminis, aliisque inſtrumentis inciſa, adhuc in Dalekarlia uſurpantur. In ſola Roſlagia Profeſſor Magnus Celſius CLIV invenit. In Bibliotheca Aſtronomica Upſalienſi reſervantur CXXVI, ut taceam plura variis modis confecta videri poſſe in hujus Academiæ Muſeo Hiſtorico. Libri Runis ſcripti, vere ſint ve... ſtates vel effictæ, haberi ſolent: *Hjalmars och Hramers Saga* & Fragmentum Runico-Papiſticum, qui uterque in Svecia editus eſt, & præter eos, quem Wormius in Dania edidit, codex Scanicus cum catalogis duobus Regum Daniæ & deſcriptione finium Sveciam inter & Daniam 4). Runæ in montibus & ſcopulis inciſæ videntur vel viſæ ſunt, in rupe *Runamo* Blekingiæ, in monte, quem dicunt *Jäder* Sudermanniæ, & monumentum Ragnari ad mare album in Bjarmia 5). Numorum Septentrionis plures fuerunt Ru-

4) Wormii Mon. Dan. p. 518, 519. Additam. p. 9. Fragm. Run. Pap. p. 3. Fäderneslandets Antiquiteter, p. 153.

5) Vide: Fädernesl. Antiqu. a Cel. Præſide, p. 132, 134. Sagan om Inguar Vidförla, a Brocman edita, p. 121.

Runici. Cornu Runis insignitum, cujus mentionem fecit Cel. Præses in libro: *Blekings Historia P. I. p.* 353. nunc habet Theologiæ Doctor ac Præpositus A. Lannærus in *Ingelstorp* Scaniæ. Cochleare argenteum runis notatum servatur in Archivo Antiquitatis Regio Holmiæ. In Baptisteriis Templorum Norumensis in Bahusia, ac Sallerupensis in Scania Runæ leguntur. Annulus in porta Templi *Forsa* in Uplandia, Sepulcrum in area templi *Alrum* in Scania, ut & Campanæ, Urdalensis in Norvegia, Vrigstadensis in Smolandia, & Salebyensis in Vestrogothia Runicas habent inscriptiones. Totum videtur Alphabetum Runicum in campana Segerstadiensi Vestrogothiæ signatum, at inepte multum & confuse.

§. III. Conjecturam præterimus, Runas post annum DLXXXIV Alphabeto Francico fuisse immixtas 6). In Germania stricte sic dicta nulli sunt lapides Runici 7). Prope Slesvigiam urbem

b duo

Historie af Danmark, ved Suhm, P. I. p. 534. *Udi Bjarmeland findes Runer, men af hvilke dog hvert bogstav betyder andet end vore Runer.*

6) Broeman. l. c. p. 271.

7) Critisk Historie af Danmark ved P. F. Suhm, 1 Bind, p. 161. *Enhver maae dog tilstaae, att nu omstunder findes inge stene for sig eller paa höje i Tydskland med Runebogstafver eller nogen skrift paa, og ej heller har været i nogle hundrede aar, da derimod saa mange findes her i Norden.*

duo tamen sunt detecti. Alter anno MDCCXCVI reperiebatur juxta pagum *Wedelsprang*, qui in confinio Slesvigiæ est. Postea transportabatur ad arcem Principis Hessiæ Caroli, *Lovisenlund* dictam, & miliare dimidium a Slesvigia distantem. Humo duos inter tumulos effossus, pedes octo Hamburgicos æquabat. Runæ male nec alte satis incisæ hæc faciunt verba:

Thurlf risthi stin thonsi biuthigi Svins estir Erik filaga sin jas varth tauds to trekiar hartha kuthr satu um haita bu. — *Hia* juxta denotat, sed heic accidit, ut ᚼ *a*, quæ hanc quoque habet figuram ᚽ, runæ Ψ similis sit, & speciem fere præbet runæ ф. *Filaga* proprie communitatem denotat; postea amicum vel sodalem, quocum omnia sunt communia. *Trek*, a quo derivatur vox Svecana: *dräng*, virum strenuum, heroem significat. *Hartha kuthr* fortissimus, Svetice, *härdeligen god*, qui vero dicendi modus nunc in usu non sit. *Haitha bu* vetustum Slesvigiæ urbis nomen. Adeoque vertatur inscriptio: *Thoralfus hunc lapidem posuit, ad Svenonis fossam, Erico amico suo, qui mortuus est, cum milites fortissimi Habitabulum oppugnarent.* Stetit lapis prope fossam *gangraben* dictam, quæ vetustior forsitan sit, quam creditur. In inferiori lapidis parte Runæ sunt confusæ, quæ legi non possunt. Magna esse antiquitate non potest hic lapis, quod perspicue cernitur in runa ф *m*, in puncto runæ ᚠ *g*

&

& in discrimine, quod observatum est inter runas ᚷ *a*, & ᚾ *e*. Conjecturæ sic dilabuntur omnes, quæ ad tempora Ragnari Lodbrochi vel Svenonis barbæ bifurcæ ferunt. Lapis alter eodem tempore repertus est in brachio austro propiori sinus *Schley, Selker Noer* dicto. In duas abrupta est partes, leguntur tamen hæc verba: *Isvarin, Obi, knubu, Osfrithr garthi kumbli thaun oft Sutri gu* — h. e. *Isvarin, Obi, knubu & Osfritherus fecerunt monumentum hoc lapideum in honorem Sutri boni. Gu* etiam esse potest initium precis solitæ: *Gud hjalbi salu hans, Deus adjuvet animam ejus.* Lapis ad signandum vadum in aqua jacuit, qua multum tritus est; octo circiter pedum longitudinem habet 8).

8) *Beschreibung und erläuterung zweyer in der nähe von Schleswig aufgefundene Runensteine, von zweyen freunden.* 8:o. *Friedrichsstadt* 1799 Cfr. *Rhode Cimbrisch Holsteinsche Antiquiteten, p.* 408, 412. 414, 420. *Arnkiel Cimbrische Antiquiteten T.* 3. *p.* 331. Vix nominatu dignus est Runicus lapis, quem Episcopus Pontoppidanus in Marmor. Dan. T. 2. p. 23. prope urbem Slesvigiam inveniri refert, pernova hac inscriptione:

Hi leger Vese af Hetumby
Under auben himlum og voodum sky.

præ-

præsertim quum afferat Vesem vixisse annis MCCII post diluvium Noachicum.

In uno cornuum, quæ haud longe ab urbe *Tondren* reperta sunt, & in Museo Regio Hafniæ reservantur, quædam sunt figuræ Runis similes. Conjecerunt, tam inscriptionem, quam cornua ipsa fuisse Anglo-Saxonica, ibique legere crediderunt: *Tepixo Mualmpu egez thith holtimeth horne*, h. e. Tepixo Mualmpu cornu hoc aureum possidet.

Dissertatio Academica
De
Monumentis Runicis extra Scandinaviam,

cujus sectionem secundam,

Consensu Amplissimæ Facult. Phil. Lundensis,

PRÆSIDE

NIC. HENR. SJÖBORG,

Histor. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Music. Holm.
Societ. Reg. Genealogico-Herald. Hafniens.
& Societ. Litt. Scand. Membro,

Pro Gradu Philosophico

Publico Eruditorum Examini

modeste defert

JOHANNES ERICUS FORSBLAD,
Westro-Gothus.

Die XI. Junii MDCCCVI.

h. & l. solitis.

LUNDÆ,
Litteris BERLINGIANIS.

ENKE-PROSTINNAN,

HÖGÅDLA FRU

HELENA THUNBERG,

FÖDD BERONIUS.

Tillegnas desse blad, i brist af annat skylldighetens och vördnadens offer. De skola, äfven med ett dödt språk, vittna om en liflig tacksamhet och stundom väcka hogkomsten

af
en ödmjuk och tillgifven
Systerson,
JOH. ERIK FORSBLAD.

§. IV. Non silentio prætereundum putamus monumentum illud sepulcrale, quod in vallo Rubenthal, vel Rauenthal, Comitatus Mark, in mense Octob. anni 1803 repertum est 1). Laboratores quidam, cum in hoc vallo pulcherrimo, quod Deo Crodoni dicatum fuisse traditur, muri exstruendi caussa foderent, ex improviso murum offenderunt firmum, ubi urnarum frusta, ossaque invenerunt, & licet ejusmodi inventa non æstimarent, unus tamen ex iis, illa Sacerdoti Petersen ostendit, qui locum penitius scrutans, urnam integram, hominum ossa & equorum, pateram argenteam, dentes piscium, cuneum siliceum &c. inprimis vero lapidem runis incognitis notatum detexit. Hæ runæ lapide incisæ & litteris in sepulcris Siberiæ (de quibus infra) & Helsingicis similes sunt. Præterea forma ipsius lapidis cubum repræsentat irregularem, cujus latera inter undecim & octodecim pollices continent. Kortum, qui hæc descripsit monumenta, postquam religionem & sepeliendi modum veterum Romanorum & Germanorum prolixe pertractavit, tredecim argumentis hoc monumentum sepulcrale, non Romanum sed Germanicum

1) Beschreibung einer neuentdekten alten germanischen Grabstätte nebst Erklärung der darin gefundenen Alterthümer, Zugleich etwas zur Charakteristik alter Römischer und Germanischer Leichengebräuche und Gräber, von Kortum. Dortmund 1804. 8:o.

cum esse probat, quamvis id non esse Romanum, lapis ille runicus satis superque testari videtur. Multa etiam doctrina lectorem persvasum reddere conatur, Sicambres vel potius Bructeros, tribus Germannicos, olim vallum Ruhenthal habitasse & hoc sepulcrum, 18 pedum longum, 3 pedum latum & quasi vestibulum habens, ædificasse. Postremo putat, cum hic sepeliendi modus Germanorum & Gallorum in discriptiones Taciti & Julii Cæsaris quadret, & cum nulla, re vera, pretiosa, ut jusserit Othinus, ibi reperta sint, factum esse hoc monumentum sepulcrale circa natalia Salvatoris, saltem ante tempus Caroli Magni, quia hic mortuos urere vetuit. Fas tamen est credere, plurimos Germanos hujus ævi nullas alias habuisse res pretiosas, quam ejusmodi, quæ in hoc inventæ sunt sepulcro, quod post tempus Othini, sec. 1:o vel 2:o ædificatum esse posse nobis videtur 2).

§. V.

2) De Monumentis Runicis prope Slesvigiam, quæ in sectione 1:ma pag. 10 descripta sunt, hæc nuper tradidit Professor Hafniensis Celeberrimus Erasmus Nyerup in Oversyn over Fädernelandets Mindesmärker fra oldtiden, saaledes som samme kan tänkes oppstillede i et tilkommende National Museum, Kjöbenhavn 1806 in 4:o pag. 157. *Capitain Abrahamson, som jeg har raadspurgt desangaaende, bifalder Läsningen og Udtolkningen paa Svends Dige när, hvilket han holder for ganske ugrundet. Angaaende Inscriptionen paa Stenens söndre Side, som Forfatterne erklare for ganske ulåselig, da har Abrahamson väret heldig nok til*

§. V. Inter monumenta runica extra Scandinaviam reperta, non omittenda sunt ea, quæ juxta

at udfinde Maaden den skal dechiffreres paa. Hver Figur nemlig indbefatter i sig 3 Runer, og naar saa staves ovenfra nedad, faaer man rigtig Ord derudaf. Paa den anden slesvigske Runesten læser Abrahamson: Isvarin ovi Klubu (ikke Knubu) og oversætter det: Isvar hug Stenen. Sutri og Ku, som Udgiverne have skilt ad, mener han, hører sammen som et nomen proprium, Sutriku, Sitrig. — De cornu in Museo Regio Hafniæ reservato, cujus mentione p. 12 fecimus, ita Nyerup p. 107 habet: — *Begge disse magelöse Levninger fra Oldtiden — disse to saa kostelige saa overordentlig udmærkede Horn, vare begge af det pureste Guld, fandtes begge i Jorden ved Byen Gulhus nær ved Herregaarden Skakkenborg i Ribe Stift, ere begge prydede med en Mængde Billeder, bleve begge forvarte paa det kongelige Konstkammer, og bleve begge ved Hjelp af falske Nøgler stjaalne bort af en Guldsmed, som var Nidding nok til at smelte dem begge ind. Forskjellen paa disse tvende Horn, siger Pontoppidan i 1:ste Tome af Danske Atlas S. 81, er denne, at det sidste viser en Slags Opskrift, skjöndt hidtil ulæselig. Al denne Guldhorne-litteratur, samt Hornenes bedste Afbildning i Kobber, og den rimeligste Forklaring over deres Herkomst og Figurernes Betydning, kan hentes i det ypperlige lærde og elegante Prisskrift, som vor smagfulde Oldgrandsker Prof. P. E. Müller derom har udgivet 1804. Han beviser at Hornene ere komne fra Spanien og er celtiberisk Arbejde, og er det i den patriotiske Skandinavers Sorg og Græmmelse over det skiændige*

juxta *Prilwitz* in Ducatu Mecklenburg-Strelitz Pastor Ecclesiæ *Fr. Sponholtz* circa annum 1690 detexit. Hæc enim monumenta antiquitatis historiam veterum Slavorum aut Vendorum optime illustrant. In primis notatu digna nobis videntur idola illa, quæ Numina Slavorum repræsentant, & quæ nomina sua in se habent incisa; eaque litteris runicis; res non minus singularis, quam antiquitatum amanti jucunda. Sed ut multæ sunt litterarum Gothicarum variationes, ita etiam Runæ Slavorum a vulgaribus nostris, & figura & potestate discrepant. Slavorum in tribus plures divisorum (ut Obotrites in Mecklenburg Schwerin, Rygiani, Polabes, & Varnavi in Rygia & Pomerania Svecana) Rhedarii in Mecklenburg Strelitz & Uckermarck principes fuerunt atque numerosissimi.

Rhetra, metropolis eorum primum diruta est anno 955, imperante Ottone Cæsare; ab illis vero deinde exstructa, iterum, regnante Henrico Leone, circa 1155 destructa est. Multum autem inter eruditos disputatum fuit, ubi jacuerit Rhetra, ta-

Ran, som skilte dette Museum ved sine to ypperligste allersjeldneste Sjeldenheder, en ikke ringe Tröst og Lise, at Forfatteren har kunnet godtgjöre, at Hornene oprindeligvis ikke vare nordiske. — Conf. Hans Gram, Item Enfoldig anmärkning over skriften eller ridsningen paa det Guldhorn som blef fundet i Holstein hos Gallhus udi den Tunderske grund af en bonde anno 1734 i pennan författad af Studios. Antiquit. Joen Oelssen.

tamen juxta Prilwitz in monte Rhetraberg dicto, sita fuisse nobis videtur.

Vendi vel Slavi primum sæculo quarto noti, ab Asiæ venerunt regionibus, atque secum superstitiones in hac orbis parte terrarum vulgares attulerunt. Bonos enim Spiritus, cum eos non nisi bene facere posse crederent, non coluerunt; malorum vero dæmonum princeps

Radegast templum suum Rhetræ habuit. Plurium autem idolorum Radegast vel Ridegast, a Frider. Sponholtz repertorum, unus inprimis est notandus, qui, septem fere pollices longus, solido metallo consistit. In capite hujus, leonis vel canis simili & quasi jubato, sedet avis, in cujus tergo incisum est ᛏ (z) forsan *zern*, niger, malus. Ante pectus manu sinistra taureum tenet caput; in dextra, qua securim tenet, legitur *bel* (albus, bonus), in humeris R ᛅ D ᛏ ᚴ ᛅ ᚢ. ᛏ *Radegast*, in tergo R Ж ᛏ ᛠ R ᛅ *Rhetra* & in femore sinistro ᛉ ᚼ ᛚ ᛉ ᚼ ᛒ *Belbug*, (deus bonus).

Wodha, wodan, *weda*, *Waidawut*, vel *Othen* (dux) ejusdem fere magnitudinis, lorica, galeaque est indutus. Tres illi sunt vultus, unus a parte antica capitis, major & barbatus, a postica duo minores. Tres etiam serpentes (belli signa) eum circumjacent, & in uno latere ᛏ I R *Zir* vel *Tyr*, Mars, in altero vero *Wodha* & *Rhetra* leguntur.

Ne-

Nemisa, nimbo effulgens: capilli barba ejus longa implicati sunt. Manu dextra scipionem trilaterum, sinistra avem tenet. In humero dextero duo columbas se invicem osculantes, & in veste avem expansam conspicimus. Inscriptio: *Nemisa — z — r ab — Arcon.* Fuerunt, qui crediderint hunc *Nemisa* esse *Jüterbocg* vel Deum Aurorae, qui, radiis circomvolutus, altera avem, altera manu solem tenebat: inter omnes vero conjecturas, illa maxime credibilis nobis videtur; scilicet hunc Deum eundem esse ac Rygianorum *Zwantbewit*, qui omnium Slavorum princeps fuit Deorum. Verum quidem est, hunc Rygiae Deum ligno fuisse, multa habentem capita; nihilo tamen minus fieri potest, ut alio loco, etiam alio modo fingeretur. Hic *Nemisa*, qui simul nos ad Nemesin Romanorum cogitandum perducit, septem circiter pollices est longus, igne aliquantulum consumtus, argento aere admisto consistit, & aerugine nobili splendet.

Sieba vel Siva, quinque pollices longa, & frontem radiata, manum, qua uvam tenuisse videtur, sinistram porrigit, & in capite edens sedet simia. Haec Sieba, brevi induta tunica, Venerem forsan, Friggam vel uxorem Radegasti repraesentat, & inscriptionem *Sieba - Razinia* habet. Ejusmodi Deam in Academia Berolini conservari accepimus.

Bul-

Baldar duo habet vultus, quorum unus est in pectore, aures & cornua longa, sed uno solummodo gaudet pede. Ad longitudinem ventri legitur ᛉᛁᚠ ΡΠΡΙ Balduri. Leguntur porro hæc nomina Deorum *Swantevit*, *Pruve*, *Podaga*, *Percunust*, dæmonis *Zernebocg*, semi-Dei ΟΠΩΡΑ *opora*, urbis *Arkon*, quæ caput Rugiæ est, &c. Omnes vero Dii, semi-Dii, sacra supellectilia, vasa sacrifica, orbes, pateræ, cultri, arma, amuleta, nummi &c. quibus plerumque sunt inscriptiones, & omnia quæ nunc in Museo Sponholtziano Novæ Brandenburgiæ asservantur non nobis est locus afferre 3). Generatim vero observandum, plurima idola pingui Minerva esse facta, argento ære admisto consistere, nobilemque æruginem habere.

3) Die Gottes dienstlichen Alterthümer der Obotriten, aus dem Tempel zu Rhetra am Tollenzer See nach den Originalien auf das genaueste gemahlet, und in Kupferstichen, nebst A. G. Maschens Mecklenb. Strel. Hofpr. Consist. Raths und Superintendentens Erläuterung derselben, herausgegeben von D. Wogen. Meckl. Strel. Hofmahler. Berlin 1771, 4:to. Voyage dans quelques partie de la Basse Saxe pour la recherche des antiquités Slaves ou Vendes, fait en 1794 par le Comte Jean Potocki. Hamburg. 1795. — Beyträge zur Erläuterung der Obotritischen Alterthümer von Masch. 1774. Conf. Suhm Historie af Danmark. T. 2, p. 132. n. a. ubi de Deo Svantevit sermo est.

§. VI. Monumenta antiquitatis eaque runica, Britanniæ non desunt; nam insula Man, in lacu Irlandico sita, plura fere habet quam ulla Europæ regio. Lapides sepulcrales, crucibus similes, runis atque figuris hominum equitantium, cervorum, canum, avium &c. sunt ornati. Juxta *Peel* sedem Præsulis, plurimos videmus tumulos, ex quibus urnæ ossium plenæ, pugiones, instrumenta, clavi aurei eruta fuerunt. In cruce lapidea, nunc in fenestra *kirk Michaels* (templum Michaëlis) posita hæ leguntur runæ: *Laifa: fustra: guthan: than: son: ilen: raiste krus: thena: efter mal: mury: fustra sina: Tuli Uluf Kals Kona: is :a* — — ceteræ sunt corruptæ: In alia ad idem templum cruce in qua homo armatus conspicitur: *iualfir: sunr: thurulfs: hins: Rauda: risti: krus thono: aft: fridu: mudur: sino:* h. e. Ivalfus filius Thorolfi Rubidi hanc posuit crucem in memoriam Frodæ matris suæ. Multæ sunt ejusmodi cruces lapideæ, ut ad Kirkbraddan, *Tathur lior neaki risti krus thono aft Fiak sun sin oruthur son heors*, ad Kirk Andrew, *Sont Ulf hin Svarti raisti krus thona aftir Arin Ojaajuk kvanu sina:* h. e, Ulfi Nigri filius crucem hanc posuit in memoriam Uxoris suæ Arin Ojaajuk Quæ cruces inscriptiones suas runicas in margine plerumque habere solent.

In templo *Bridkirke* Cumberlandiæ, quoddam conservatur baptisterium, in quo hæc runis & litteris Anglosaxicis scripta leguntur: *Er Ekard han men egrocten and to dis men red wer Taner*

ner men brogten: h. e. hic conversus est Echardus & exemplo ejus viri Dani commoti sunt. Quis fuerit Echardus omnino nescimus. Hoc baptisterium, lapide subviridi consistens, varias ut omittam figuras, homine palliato, infantem, super quem volitat columba, baptizante, exornatum est 4). In Scotia juxta Ruthwell vel Rewel lapis est runicus, in quo ornamenta sacra, ut Jesus oculos cæci tangens, Maria pedes Jesu lavans, præterea flores, fruges, aves, incisa sunt. Inscriptio, cum plurimas habeat litteras incognitas, certo non explicari potest 5). In atrio Musei Oxoniensis duo conservantur lapides runici, quos consensu Regis Sveciæ Caroli XI:mi Johannes Robinson, Jacobi II:di apud Regem Sveciæ rerum transactor & administer in Angliam a Svecia anno 1689 transmisit. In uno hæc leguntur. *Lithsmothr lit akva stin aufti Julibirn fath*, h. e. Lithsmother incidi fecit saxum in memoriam Julibirni Patris. In altero, qui antea ad portam Cæmeterii templi Ed in Uplandia positus fuit, hæc: *Thorstin lit gera merki stir Swin fathur sin uk stir Thori brothur sin Thir hwarū hut til Gr-ika (Girika) uk istir Ingithuru mothur sin. Ubir risti*, h. e. Thorstinus no-

4) Britannia or a Chorographical Description of Great Britain and Ireland, by William Camden, London 1722. p. 1007, 1010, 1458.

5) Linguarum veterum Septentrionalium Thesaurus Grammatico-Criticus & Archæologicus auctore Georgio Hekesio. Pars 3:1 pag. 4 & 5.

notas fieri fecit in memoriam Svini patris fui, & in memoriam Thori fratris fui: isti profecti funt in Græciam, & in memoriam Ingithuru matris fuæ: Ubir incidit 6). In cruce lapidea in Beucaftel anno 1615 infcriptio runica inventa eft, quæ hoc modo legi poteft: *Riner Thrubtner* h. e. Runarum Drotzetus 7).

§. VII. Omnibus conftat, nummos veterum Hifpanorum multos, runis & characteribus Punicis effe infignitos. In aliis eorum homo equitans, in aliis equus folummodo vel bos, in aliis villæ maritimæ, in aliis navis, pifces &c. confpiciuntur. Infcriptio harum medaliarum, in primis earum, in quibus funt urbes maritimæ, naves &c. medaliis Tyri & Sidonis, medaliis Chartaginis, Malthæ & Corficæ perfecte fimiles funt 8). Multi multa de his con-

6) Vid. Hikefii Linguarum Vett. Septentrionalium Thesaurus Grammatico-Criticus & Archæologicus Fol. Oxoniæ 1705. Pars III. p. 3. — Brocmans Noter till Sangan om Ingwar Widfarne p. 166. Nye Samlinger til den Danfke Hiftorie ved Suhm 3:dje B. p. 114. Inledning till kännedom af Fäderneslandets Antiquiteter af N. H. Sjöborg, p. 25. Nyerup l. c. pag. 158.

7) Hickefius l. c. Wanleii Ant. Lit. Sept. Liber alter pag. 248.

8) La fcience des Medailles par Jobert, nouvelle edition, avec des remarques hiftoriques & critiques du Baron de la Baftie. T. 2. p. 310.

conjecerunt nummis. Peringschjöld, qui ejusmodi nummum, Gothici Regis vultum exhibentem, addita familiæ nota atque insigni, leonis effigie, parte aversa regem nudum equo insidentem, manuque sinistra avem tenentem falconem, addita hac inscriptione ex characteribus punicis, runicisque composita: M|ΞᛋᚱᛋᚦP *Maer resd*, (fortem equum) omnino putat eum in honorem Regis Gothici in Hispania olim cusum fuisse 9). Berch explicatione Peringschjöldi non satis contentus esse videtur 10).

§. VIII. Colossici illi Leones marmorei, qui primum a Venetianis, Athenas expugnantibus, Venetiam anno 1687, postea vero Lutetiam Parisiorum a Gallis, in Italia signa Bonapartis sequentibus, perducti & ad portam horti Thuillieres positi sunt, attentionem nostram quam maxime merentur. His duobus leonibus runæ, modo Gothorum, in figura serpentis incisæ sunt; quas runas, quamvis Gothicis similes, & quia tempus multas earum delevit, & quia nonnullæ a runis nostris cognitis aliquantum discrepant, non certe explicare possumus. Has tamen ab aliis discernimus: *i vikiu iaïri aif* — — *adibimr* — — *riti* — — *ru* — — *nu* — — *ad fjuk* — — *urdi* — —. In basi leonis, ad sinistrum portæ stan-

9) Adnotationes in vitam Theodorici a Peringschjöld, p. 263.

10) De nummis. Gothorum extra Sviogothiam auctore Carolo Renaldo Berch. Ups. 1775.

ſtantis, litteris latinis legimus: *Franciſcus Mauro- cenus Peleponneſiacus, expugnatis Athenis, mar- morea leonum ſimulacra, triumphali manu e Piræo direpta, in patriam tranſtulit, futura Veneti le- onis, quæ fuerant Minervæ Atticæ ornamenta.* Et in baſi leonis ad dexterum: *Athenienſia Vene- tæ claſſis trophæa Veneti Senatus decreto in na- valis veſtibulo conſtituta, anno ſalutis* 1687. Hæc quoque in pectus leonis inciſa reperiuntur: *Hic fuit Nicholaus —— Bres. die XXVII Mar —— ci* 1458 Hos leones, qui olim ornamenta fuerunt fontium, & quaſi canalem a tergo habent, pere- grinatores, ſeſe Athenis vidiſſe narrant. Quo vero tempore inciſæ ſunt runæ, difficile eſt dictu, & licet conjecturis contenti eſſe cogamur, nobis ni- hilo minus credibile videtur, *Varegos* ad Græciam proficiſcentes eas inſculpſiſſe. Exiſtimat quidem Hancarville, illas tempore Pelasgorum, & Canova eas poſt tempus Antoninorum eſſe inciſas; prius vero non ponendum putamus, quia ſupra modum nobis eſſe videtur, poſterius haud dubie fieri pot- eſt, nullum aliud tamen affert argumentum Cano- va, quam quod de iis nihil ſcripſerit Pauſanias 11).

In

11) Notice ſur deux Inſcriptions en Characteres runi- ques, trouvées a Veniſe & ſur les Varanges, par M. Akerblad, avec les remarques de M. d'Anſſe de Vil- loiſon. — Magaſin Encyclopedique ou Journal des ſciences des lettres & des arts, redigé par A. L. Millin No 17. Germinal. An. 12. Scandinaviſkt Muſeum för aar 1800.

In campis Veronæ, ubi contra Odoacrem pugnarunt Theodoricus gothicæque turmæ, in effosso & perquisito tumulo, inter alia, ulna cuprea, Gothica ab Italis dicta, reperta est, quæ hanc præ se fert inscriptionem, ordine retrogrado ita explicatam: *Mas is ju miku de -si er oida, maru sa koik felir afer*, h. e. homo est certe fimus post fata, equi accipiunt frenum, cadente Domino 12).

§. IX. Cum de monumentis runicis extra Scandinaviam sit quæstio, quis tunc Siberiæ oblivisci posset? Hæc orbis terrarum regio plura in sinu habet antiquitatis monumenta, qvamvis pauca adhuc detecta. Hæc tamen inventa satis superque testantur, Siberiam antiquitus a populis excultis inhabitatam fuisse, licet nunc temporis homines more bestiarum in silvis vagentur; ea enim sors mortalium.

In tumulis sepulcralibus Siberiæ, præ primis regionis Katchiniorum, reperta sunt ossa hominum & equorum in ordine certo posita, idola, medaliæ argenteæ aureæque characteribus insignitæ, specula metallica, margaritæ, tabula latruncularia aurea, cultri, acinaces, urnæ, vasa metallica, frena, calcaria &c. Lapides runis 13), hieroglyphis, litteris cuficis, runis quasi helsingicis ornatos, interdum detexerunt peregrinatores. Horum lapidum vel Obeli-

12) Adnotationes in vitam Theodorici a Peringschjöld, p. 530.

13) Historie af Danmark wed Peter Fr. Suhm. Tom. 1. p. 483, 487.

